

355

353

359

349

364

344

404

304

454

254

Ende

Anfang

340

fortunatissimus mox effectus est, et frater ejus e contrario in dies defecit. Cum autem et ipse haeres sudarii in extremis ageret, suo dilectiori filio derelequit, dicens sibi virtutem ejus, et ubi repertum fuisset. Qui accepto sudario subito ditatus est, et ita Judaei de ista linea magis facti divites et honorati. Et transivit sudarium haereditario jure de uno ad alium multis temporibus usque ad quintam generationem, in qua facta fuit contentio inter fratres de sudario, et res in publicum venit. Hoc audientes Christiani instabant pro sudario habendo, tamquam pro re sua, sed Judaei nullo modo dare volebant, unde facta est seditio magna in Jerusalem, insurgentibus Christianis contra Judaeos pro sudario. Unde ad sedandam seditionem visum est prudentibus, ut judex illius rei et sententiator poneatur, qui nec Christianus nec Judaens esset et in ejus sententiam ambae partes consentirent. Quod cum placuisset, advocatus est Mabius, rex Sarracenorum, ut ferret sententiam de sudario, et omnia sunt sibi narrata a partibus. Qui statuto die, convocata omni plebe Christianorum, Judaeorum, et aliorum, in publica platea sedit cum tribunali, jussitque sibi apportari sudarium. Et allatum est ei in scrinio. Demum jussit apportari ligna, et copiosum ignem in medio accendi. Et stabant Judaei ab una parte rogi, Christiani ab alia, gentiles vero inter utrosque. Rex ergo accepto linteolo clamavit, dicens: nunc Jesu Nazarene, ecce sudarium tuum, Dijudica, cui parti debeatur. Et hoc dicto linteolum flammis injecit. Quo injecto, moramque aliquantulum faciente, cuncti ejus consumtionem suspicabantur. Sed ecce, subito illaesum de igne consurgens, et in altum sursum se tollens, quasi avis expansis alis volare coepit, et aliquamdiu per aerem circumvolans paulatim coepit descendere. Et stabant omnes suspensi vultibus, et elevatis manibus, expectantes, cui parti advolare vellet. Angelo autem duce in brachia Christianorum consedit, qui flexis genubus illud suscepit, et in ecclesiam sancti sepulcri cum magno gaudio portaverunt. Et mansit ibi multis annis in magna veneratione inter reliquias sancti sepulchri non minimum.

In super hanc sacram ecclesiam Dominus olim multis illustravit prodigiis, quorum illud fuit manifestum, quod semper sabbatho sancto paschae omni congregato vulgo et omnibus

